



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Quæ Meditationes Complectitur circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

26. De conuersione Samaritanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

MEITATIO XXVI.
DE CONVERSIONE SA-
maritanæ.

PUNCTVM I.

a Ioh. 4.5.



TRANSIENS Christus a
Iudæa in Galilæam per Sa-
mariam a venit in ciuitatem
qua dicitur Sichar, erat au-
tem ibi fons Iacob, Iesus er-
gò fatigatus ex itinere, sede-
bat sic supra fontem, hora
erat quasi sexta (hoc est meridies) & tunc
venit mulier de Samaria haurire aquam.

I

PERPENDE hic primùm labores ac de-
fatigationes Christi Domini nostri in suis
profectionibus & peregrinationibus ob ani-
marum utilitatem: nam pedes iter faciebat,
& absque aliquo leuamine, etiam in ipso me-
ridie, & prolixis itineribus. O supreme pa-
stor, quàm tibi care stat, perditas oues quaere-
re? tantum enim subis laborem, ut vnâ quaere-
ras, atque si essent multæ! quoties in itine-
ribus sudasti, defatigatione corporis te ad in-
terdum sedendum compellente, ut aliquod
leuamen acciperes; gratias tibi, Domine, pro
hac lassitudine, cui compatio, quia grauior-
es alias prænuntiat: paulò siquidem post
aliud

aliud leuamen non habebis in meridie, quàm durum crucis lectum.

DEINDE eiusdem Christi Domini charitatem considerabo, non enim dum ad fontem sedit, tam quæsiuit corporis sui quietem, quàm venari voluit animam illam, quam sibi præelegerat; nunquam enim passus est præterire occasionem, animabus benefaciendi. O incarnata sapientia, quam dulci & admirabili providentia beos præoccupas, qui, à te aberrantes te concupiscunt vt illis te prior ostendas, c qui te non quærunt inueniunt, & ijs, qui ante non te interrogabant, dixisti, ecce ego ecce ego! Si Magdalena te quæsiuit, tu id ei inspirasti, eamquæ traxisti; & si mulier hæc Samaritana te inuenit, id factum est, quia tu iuisti vt eam quæreres. Suggere mihi Domine, vt te quæram; quære me, vt te inueniam.

II.

b Sap. 6. 14.
c Isai. 65. 1.

HINC vlteriùs ascendam, vt videam, quàm sint mirabilia Dei secreta, circa animarum conuersionem, ad quam occasiones disponit, quando nihil minus illæ cogitant. Erat hæc mulier peccatrix, & carnalis, quæ cum quinque viros habuisset, nunc erat cum altero in concubinato. immò sanctus Chrysostomus & alij doctores dicunt, cum quinque etiam prioribus fuisse in concubinato: & quod dicitur, quinque viros habuisse, non intelligi de maritis legitimis. Cum igitur talis hæc mulier esset, & venisset haurire aquam, nihil minus, quam de salute sua cogitans, inuenit ibi Christum, qui

III.

Chrysin
Ps. 13. Mal-
donatus hic

Y 2

extra-

extraordinario fauore, & admiranda efficacitate, ac suauitate illam profecutus, eius qualitati, & conditioni sese accommodauit, vt mox apparebit.

PUNCTVM II.

a Ioan. 4.7.

VENIENTI Samaritanæ ad fontem, a dicit ei Iesus da mihi bibere, dicit ei mulier, quomodo tu Iudæus cum sis, bibere a me poscis, qua sum mulier Samaritana, non enim contuntur Iudæi Samaritanis. respondit Iesus, si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.

Pareitas hominis ad Deum: & liberalitas Dei ad hominem.

I.

IN huius colloquij initio proponitur omnino ad viuum, qualis homo sit erga Deum, qualisque Deus erga hominem, quæ duo sunt capita spiritui utilissima. •

PRIMUM igitur considerabo, quâuis Christus Dominus corporali siti premeretur, vt qui ex itinere defatigatus, & in meridie eò peruenisset, multò tamen maiorem spiritualem sitim eum habuisse salutis illius animæ, sicut in cruce, cum dixit: sitio. Et quia qui sitit, magno gustu haurit aquam, in seipsum illam immittendo; ita Christus Dominus noster maxima sua voluptate bibit ac recipit animas, quas in viscera sua immittens, amore sibi illas incorporat. & hoc desiderio dixit: da mihi bibere. O Iesu dulcissime, quàm optatam innumeras tibi animas offerre, quibus

sitim

ficum tuam expleres; ecce meam: accipe illam, tibi que ita coniunge, ut nunquam à te separetur.

DEINDE perpendam, Samaritanam non solum aquam Christo denegasse; sed eum etiam reprehendisse, quod illam peteret, & secum loqueretur. in quo depicta nobis proponitur parcitas, inurbanitas, & rusticitas hominum erga Deum; cui negant, quod ille petit: siue petat per secretam inspirationem, siue per communem suam sanctam legem, siue per superiores, siue per pauperes petentes eleemosynam: neque vnquam illis desunt excusationes & prætextus, ad denegandum, quod petitur; immò reprehendunt obliquè, & conqueruntur, quod multa & graua ab ipsis petantur, & molestè ferunt ipsum colloquium, & familiaritatem cum Deo. Quod totum prouenit, ex eo, quod, sicut Samaritana, non nouerunt, quis iste sit magnus Deus, qui illa petit; nec eum æstimant, ut par esset; quia penè extinctam fidem habent.

II.

TERTIÒ perpèdam responsum Christi Domini, in quo apparet infinita eius charitas & liberalitas erga hominem. Nam loco vltionis de nobis sumendæ, (ut facere statuerat b Dauid de Nabal quod ei negasset, quæ petiuerat) nos denuò inuitat, ut ea bona ab illo petamus, quæ nobis desunt, cupiens ut agnoscamus, quis sit Deus, & quanta eius dona, & excitetur in nobis desiderium ea petendi. Et propterea Samaritana dixit, si scires donum

III.

Dei, quem præsentem habes, qui est vnigenitus eius filius, donatus mundo, vt Spiritus S. donum, & reliqua gratiæ suæ dona ei communicet, & si scires qualis occasio tuæ salutis nūc tibi offertur, & quis est hic q. petit à te bibere, tu fortè ab eo petiisses, & est ipse ad eò liberalis, vt nihil tibi negaret, sicut tu illi negas, potiùs tibi quandam aquam daret, non mortuam, sed viuam, ex qua tua ipsius vita dependet.

IV.

ET vltèrius adhuc infinita eius liberalitas progreditur; nam vehementius ipse desiderium ostendit, sua dona communicandi, quam homines habent eadem petendi, etiam postquam illa cognouerunt. Nam in primo, nullam adhibet dubitandi rationem, cum in secundo adhibuerit, ait enim, si scires, quis est, qui petit à te bibere, *tu forsit ab eo peteres*: quia enim libera es, fieri potest, vt spirituale bonum, quod cognoscis, non desideres; ne aliud, quod magis diligis, prætermittas; si tamen, vt decet petiueris, absque dubio tibi dederò, *dedisset tibi* quia omnibus dixi: *c. petite & dabitur vobis*. Quamobrem ait S. Augustinus, Erubescat humana pigritia quia plus paratus est Deus dare, quam nos accipere. O mundi Saluator illustra animam meam, vt Dei donum agnoscat; & me ad petendum efficaciter permoue; vt illud obtineam, & mox tibi dicam *d. Dilectus meus mihi, & ego illi*. qualis mihi est dilectus meus; talem me illi exhibere par est, vt quicquid à me pe-

c Mat. 7. 7
D. Tho. in
illud lac. 1.
5. qui dat
omnibus
affluenter.

d Can. 2. 16

tit; eidem, sicut ipse mihi dat quicquid pe-
to. imò desiderabo ut aliquid petat, ut sciam
illi annuam: sicut cupit ipse multum à se pe-
ti, ut multum mihi det. Ipse mihi est do-
num, siquidem totum se mihi gratis donat:
& ego illi ero donum, me totum ei donans,
non ob aliam mercedem, quam ut illi ser-
uiam, in secula. Amen.

PUNCTVM III.

DIXIT a ei mulier: Domine, neq; in quo a Iob. 4. 11.
haurias habes, & puteus altus est, vnde
ergò habes aquam viuam? respondit Iesus,
omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum, qui
autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non
sitiet in aeternum, sed fiet in eo fons aqua salien-
tis in vitam aeternam.

IN hoc Samaritanæ responso proponitur
nobis primùm animalis & carnalis hominis
effigies, de quo Apostolus, b animalis homo b 1. Cor. 2.
non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, nec in- 14.
telligere potest ultra id, quod oculis cor-
poris cernit; nec aliam aquam viuam esse ex-
istimat, quam quæ ex fontibus manat, & o-
culis cernitur. Sed Christi tamen proprie-
tas est, docere nos spiritum à rebus inuisibi-
libus ad inuisibiles, à temporalibus ad æ-
ternas, à creaturis ad creatorem eleuare, con-
siderantes, in ipso creatore & rebus cœle-
stibus, omnes creaturarum & bonorum
terrenorum perfectiones præstantiori modo,

& absque defectibus illis, & imperfectio-
nibus, quas in his inferioribus admixtas ha-
bent inueniri: quare ab ipsa aqua & fonte vi-
sibili, docet nos inuisibilia ratiocinari. Et
hoc exemplo discemus methodum in men-
tali oratione circa res huiusmodi visibiles
ratiocinandi.

Diuinæ gra-
tia proprie-
tates.

QVINQVE admirandas proprietates aquæ
viuæ gratiæ suæ, hic insinuauit Christus Do-
minus, ex oppositione ad aquam corporalem;
quas decet nos perpendere, vt eam aquam
cognoscamus, desideremus, & toto corde ob-
tinere contendamus.

I.

PRIMA proprietas aquæ illius viuæ est,
quod sitim sedet in æternum; in quo differt
à corporali, quæ ad breue tantum tempus il-
lam sedat: quia, cum sit corruptibilis, mox
consumitur: sed aqua illa viua, quod in se est,
& incorruptibilis est, & perdurat in anima
perpetuò, nisi peccato aliquo lethali sponte
sua illam euomat.

II.

c Ioan. 6. 35.

SECUNDA proprietas est, quod ita ani-
mam satiet, vt aliarum aquarum, & bono-
rum terrenorum sitim vniuersim extinguat,
eo modo quo dixit Christus, *c qui credit in
me non sitiet vnquã*, hoc est nec sitiet, nec rem
creatam mihi contrariam appetet: quia ego
illum satiabo & pro omnibus ei satisfaciam.
In quo differt ista aqua à bonis terrenis,
quæ parum & breui tempore satiant; ac
facile fastidium adferunt, quia vilia sunt,
& citò pereunt: sed cœlestia satiant in
æter-

æternum, & absque vlllo fastidio; quia pretiosa sunt & suauia: adferunt verè fastidium terrenorum.

TERTIA proprietas est, quòd ipsa aqua viua sit fons, qui semper manat; est enim intra ipsam animam ipse Spiritus sanctus, qui fons est gratiarum. Ex quo fonte, vt Christus ipse ait, *d Flumina de ventre eius fluent aqua viua,* d *Ioan. 7. 38.* cum abundantia magnorum donorum cœlestium. Et ipsamet gratia semper impellit ad augmentum, vt propterea de illa dicatur, *e qui bibunt me, adhuc sicient,* hoc est, quãuis rerum terrenarum sitis extinguatur, sicient tamen illud bonum, quod tanta sua voluptate possident. e *Ecc. 24. 29*

III.

QUARTA proprietas est, quòd ex ipsa anima manet hæc aqua viua, quasi ebulliens & magno impetu versus cœlum saltans, inclinat inquã magnã lætitiã, velocitate & promptitudine ad res cœlestes, quia nec se à rebus terrenis detineri p̄mittit; nec patitur moras aut dilationes; nec repugnantias admittit aut rædia; nec intra humanum cor vult se coarctare, sed magno impetu vrget foras exire, & supra seipsam eleuare, vt se cum sua origine, à qua procedit, & quæ DEVS est, sese coniungat.

IV.

QUINTA proprietas est, quòd saliat in vitam æternam, nam vt Apostolus ait, *est pignus hereditatis nostræ cœlestis,* quam speramus; & permanet cum illa in æternum: quo nomine, non solùm à bonis corporis differt, sed etiam

V.

g 1. Cor. 13.
8.

ab aliquibus bonis Spiritus, quæ cum vita corporis finiuntur, nec ad æternam vitam perveniunt: qualis est virtus Fidei, & Spei, & aliæ quædam gratiæ gratis datæ, de quibus Apostolus, *g Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue lingua cessabunt, siue scientiæ destruetur.*

h Isai. 12.3

Ex his considerationibus, magnam huius divini doni æstimationem concipiam, magnaque desideria illud procurandi, accedens in magno h *gaudio ad fontes Saluatoris*, qui sunt sacramenta, ex quibus hæc aqua, eiusque augmentum hauritur: perpendens, quod statim atque Samaritana tantas eius aquæ excellentias audivit, dixit Christo, *Domine da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam haurire.* quibus verbis ostendit, se aliquantum in sua conversione progredi, desiderans aquam illam viuam sibi oblatam, eamque instanter, ac reuerenter ab eodem Domino petens qui eam obtulerat. Adhuc tamen carnalis & rudis erat, ut quæ ob finem adhuc abiectam, (ne videlicet sitiret, & laborem, ad aquam ex fonte illo hauriendam veniendum vitaret) illam petebat. In quo proponitur nobis aliquorum imperfectio, qui cupiunt quidem spiritualia bona; non tam ob illorum pulchritudinem quàm ob aliqua temporalia commoda, quæ ex eis cupiunt sibi evenire, honorem verbi gratia, aut lucrum ali- quod, siue ut à melancholia & tristitia liberentur; quales illi sunt, qui sensibiles à Deo

con-

consolationes expetunt, affectu amoris proprii; quò leuius ferant huius vitæ molestias: qui autem perfecti esse desiderant, quære ac petere hanc aquam debent, propter bona prædicta, quæ in ea sunt, dicentes feruenti affectu, *Domine da mihi hanc aquam; vt non sitiam iterum.*

O DEVS cœli & terræ, da mihi hanc aquam, ne vnquam aliquid aliud sitiam, aut anxie occuper in quæreda aqua corporalium & corruptibilium bonorum: satis enim mihi sunt spiritualia & æterna. O dulcis IESVS, fons aquæ viuæ, pone intra animam meam diuinum hunc fontem, qui ebulliat semper, crescat & saltet in vitam æternam. Amen.

PUNCTVM IV.

HIC perpendam admirandam Christi Domini dexteritatem, qua Samaritanam disponebat, vt ea remoueret quæ illam impediabant accipere aquam gratiæ viuam. videns enim eius desiderium, dixit ei: *Vade voca virum tuum, & veni huc. quare.* *spondit: non habeo virum; dicit ei IESVS: benè dixisti, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, hoc verè dixisti.* Circa hoc præsupponimus, hanc mulierem referre eas animas, quæ cum creaturis in continuo sunt concubinato, concedentes quinque suis sensibus & appetitionibus, quidquid voluptatum effrenatè concupiscunt. Ex quo

I.

a Ioan. 4. 16

pro-

b Sapi. 1. 4.

prouenit, vt, quamdiu ita manent, sint incapaces ad viuam gratiæ aquam & spiritus Sancti dona recipienda, qui *b non habitat in corpore subdito peccatis*, præcipuè carnis; quæ

c1. Cor. 6. 19

Apostolo teste *c prophanant templum spiritus Sancti*, & abominanda carnis cum meretrice coniunctione dissoluunt pretiosam animæ cum Dei spiritu coniunctionem, ac propterea, idem Apostolus hortatur: *fugite fornicationem*, & omnes eius occasiones: vt animas

d 2. Cor. 11. 2.

vestras per amorem, *d vni viro Christo despondeatis*.

HIS præmissis, perpendam, qua ratione Christus Dominus noster, vt huius mulieris sanitatem à morbi radice auspicaretur, apostema peccati, quod occultauerat aperuit illam corripiens, non verbis asperioribus, sed in spiritu lenitatis; dicens, *cum quinque viros habueris, nunc quem habes, non est tuus vir*, ac que si dixisset rationi fuisset consentaneum, insatiabili voluptatum appetitioni frænum imponere, & ab eis recedere.

II.

DEINDE perpendam, quàm moderatè acceperit Samaritana hanc admonitionem, quæ veritatem non negauit, nec indignata est ante iniuriæ verba contra Christum dixit, quod probro illam afficeret, potiùs illum venerata, Dominum appellauit, & credens eam esse Prophetam, vt qui res a deo occultas cognosceret dixit, *Domine video quia Propheta es tu*: atque si diceret: verum dicis in omnibus, & hac humili confessione suarum culparum,

initium

initium dedit suæ conuersioni, propè enim est
 vt curetur, qui moderatè fert repræhensio-
 nem. Et ideò dixit Sapiens, *e quam bonum est,* c Eccl. 20. 4
corruptum manifestare pœnitentiam! sic enim
effugiet voluntarium peccatum.

ALIUD statim signum dedit Samaritana
 suæ pœnitentis & fidei, æstimationis, quam
 de Christo Domino conceperat, volens ab eo
 instrui circa fidem & religionem, de qua eou-
 que fuerat dubia, ideoque dixit, *patres nostri in*
monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hie-
rosolymis est locus, vbi adorare oportet: quasi
 diceret, Domine, quandoquidem es propheta,
 libera me à dubio, in quo versor, docens in
 quo loco debeam Deum adorare, & offerre sa-
 crificia, ad illum placandum & illi placen-
 dum. Ex quo apparet primam veri pœniten-
 tis curam esse debere cognoscere quæ ad ve-
 ram fidem cultumque diuinum pertinēt, quan-
 doquidem sine fide impossibile est placere Deo.
 Respondens autem IESVS dixit illi, *mulier, cre-*
de mihi, quia venit hora, quando neque in mon-
te hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Pa-
trē; sed venit hora & nunc est, quando veri a-
doratores adorabunt Patrem in spiritu & veri-
tate; nam & Pater tales querit, qui adorant
eum; Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum,
in spiritu & veritate oportet adorare. quod fuit
 illi dicere, iam non est amplius tua interroga-
 tio necessaria, quo ad locum adorandi Deum,
 eumque sacrificijs ac ceremonijs, vt hactenus
 colendi; omnia enim hæc cessabūt: quia Deus
 adorant-

III.

f Heb. ix. 6.

adorandus est in spiritu & veritate, quæ externis istis vmbriis & figuris hæctenus latebat.

IV.

Adoratio
in spiritu &
veritate.

g 1. *Timot.*
2. 8.

S E D amplius horum verborum spiritum perpendens, intelligam Christum nos docere modum, quo à suis fidelibus velit in euangelica lege adorari; nominatim verò eâ adoratione, quam quisque solus & seorsim Deo exhibet. *Primum* enim hæc adoratio in omni loco fieri potest: nam etsi templa sint ad Missæ sacrificiû destinata, & adorare Deum in quouis loco & angulo licet, quia ipse in omni loco est, ac propterea dixit Apostolus, *g volo viros orare in omni loco leuantes puras manus ad Deum.*

h *Matt. 6. 6*

PRAETEREA adoratio fieri debet intra ipsum spiritum nostrum, qui templum est spirituale Dei, & cubiculum orationi destinatum, de quo dixit CHRISTVS, *h tu autem, cum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito,* qui videt, quo modo illum adoremus. *Tertio* hæc adoratio esse debet in spiritu & veritate; quia ab inspiratione & Spiritus sancti motione, ac veritate, qui est CHRISTVS, procedere debet, eiusque directionem ac dictamen ita sequi, vt sensus nostros cum fidei veritate, nostram vitam cum vita Saluatoris, & opera externa cum internis absque fictione, & fraude aliqua conformemus. Quia enim DEVS est spiritus, & ipsamet ve

ritas

ritas, similes querit adoratores, qui & spirituales sint & veraces, sicut ipse est. Ac porro non externo solo cultu contentus esse debeo, quia illud esset corpus sine spiritu, & umbra sine veritate; præcipue itaque procurare debeo internos virtutum actus, qui illi dent vitam; quales sunt fides magnitudinum Dei, cum humilitate & mearum abiectio-
 rum recognitione; Spes diuinarum promissionum, cum oratione & petitione earum; amor Dei, cum obedientia & sanctæ ipsius voluntati subiectione, actibusque deuotionis, laudis, & orationis gratiarum. Hoc modo adoratur Deus, sicut ipse desiderat adorari, *nam & Pater tales querit qui adorent eum.*

○ Pater misericordiarum, in cuius manu est inuenire quod quæris, & facere quod desideras, effice vt multi te spiritu & voluntate adorent, quo modo tu vis adorari. Et quandoquidem, eam mihi felicitatem concessisti, vt viuerem in lege gratiæ; concede etiam vt te adorem, non in vno tantum loco, sed vbi-que; nec tantum corpore, sed etiam spiritu; non externis tantum signis, sed veritate sequens te, qui es *in via, veritas, & vita*, cui sit honor & gloria in æternum. Amen. i Ioan. 14. 6.

PUNCTVM V.

CONSIDERANDA hic est admiranda Samaritanæ huius conuersio, & mutatio, quæ,

a Ioan. 4. 25

quæ, ut erat rudis in rebus Dei, non est affectu-
 ra altitudinem doctrinæ Christi; & ideo di-
 xit, *a scio quia Messias venit, qui dicitur Chri-*
stus: cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit om-
nia: dicit ei Iesus: ego sum, qui loquor tecum. In
 quibus verbis perpendenda in primis est infi-
 nita Christi charitas, qui veritatem adeo altâ,
 & tanti momenti, tam apertè voluerit mulie-
 ri illi peccatrici, quamvis sinceræ reuelare;
 quam tamen Scribis & Phariseis occultauit;
 aut certè per ambages & parabolas tan-
 tum, in pœnam superbiæ eorum, insinuauerat.
 Sed non minùs tamen suauissima eius omni-
 potentia elucet in mirabilibus illis, quæ in ea
 muliere operatus est, virtute illius verbi, *ego*
sum, qui loquor tecum. Quo in primis eius in-
 tellectum vera fide illustrauit; ut cognosce-
 ret, quis esset, qui cum illa loquebatur, & cre-
 deret esse Messiam, & simul locutus est illi ad
 cor, ita illud emolliendo, ut præteritam suam
 vitam detestaretur. Præterea dedit illi viam
 gratiæ suæ aquâ, quam illa petierat, implens
 quod promiserat, cum dixit, *tu forsitan petisti*
ses ab eo, & ille dedisset tibi aquam viuam. Ter-
 tio adeo repleuit illam interno gaudio, ut obli-
 lita corporalis aquæ ad quam hauriendam ve-
 nerat & *hydria ad fontem relicta abierit festi-*
nanter in ciuitatem ut Christi notitiam suis
 concinibus afferret, & accederent ad fruen-
 dum eo, quo ipsa fruita fuerat. In quo appa-
 ret, quantus sit feruor animæ, quam Deus tan-
 git, ut quæcunq; habet præ manibus abiciat,
 vt libe-

vt libera sit, & expedita ad ea præstanda, quæ diuini sunt obsequij, sicut ipsi Apostoli fecerunt. *Quarto*, dedit illi perfectam humilitatē, qua non recusauit seipsam infamare, vt Christum honoraret; manifestè protestans, quòd secreta malè actæ vitæ suæ illi Christus aperuisset, vt propterea illum tanquam Prophetam acciperent, exemplū nobis præbēs, Christum prædicandi, vt Apostol. ait *b per infamiā & bonam famā*. *Quinto* magnā ei prudentiam tribuit, & aquam viuam sapientiæ circa modum ipsum Christum prædicandi: neq; enim dixit; mihi credite, quia vidi Prophetam, qui dubio procul est Messias, sed muliebris suæ imbecillitatis cōscia propter quā non existimabat se dignā esse cui fides adhiberetur, solū dicebat, *venite & vos ipsi videte*: & quamuis adiecit *nunquid ipse est Christus?* non id dubitando dixit, sed optando modestè, vt ipsi venientes & videntes, idem crederent, confidens quod Christus esset illos docturus, sicut ipsam docuerat.

SEXTO, Denique tantum spiritum, & feruorem ei in verbis communicauit, vt multi *exirent de ciuitate & venirent ad IESVM*, & crederent in eū. O diuini gratiæ! *c O c Psal. 76. 11 mutatio dextra excelsi!* quis alius præter te, Deus meus, potuisset tam cito mulieris huius cor immutare, & in ea ac per eam tot admiranda operari? erubescō meā tepiditatem, quando aduerto magnæ huius peccatricis feruorē. Illustrame Domine, immuta, & accende, sicut

III. Part. Medit.

Z

hanc

Matt. 4. 20.

IV.

2. Cor. 6. 8

V.

VI.

c Psal. 76. 11

hanc Samaritanam, vt tibi seruiam, & magna-
lia tua ita prædicem, vt fiam dignum instru-
mentum tuæ gloriæ. Amen.

PUNCTVM VI.

I.

CONSIDERANDVM sextò est, quid dis-
cipulis cum Christo Domino in hac oc-
casione euenerit. Nam cum in ciuitate
a Ioan. 4. 27 abiissent, vt cibos emerent, a *uenientes ex ci-*
uitate mirabantur, quòd cum muliere loquere-
tur: iudicantes, ex magna humilitate Magistri
suum cum illa miscuisse sermones, statuentes
tamen eum de more suo egisse de rebus coele-
stibus. Ego tamen, Redemptor mi, etsi humili-
tatem tuã vehementer admirer, laudo tamen
etiã charitatẽ, qui adeo sollicitẽ ouem vnã
perditam quæris, quamuis totius gregis vilis-
simam, familiariter cum ea agens, quò ex sta-
tu peccati illam extrahas. Aduua Domine
me tuã gratiã, vt & ego totum me applicem
ad lucrandũ tibi tam paruum quàm magnum,
siquidem æquẽ vtriusque salutem desideras.
Mirati sunt etiam Discipuli, videntes eum
solum cum muliere loquentem, quòd in ipso
erat valde rarum; nihil tamen illi dixerunt,
quia quæcunque magister illorum faciebat in
veneratione habebant, nunquam malè iudi-
cantes, quicquid ille faceret. Ex quo discunt
Superiores cautè agere in huiusmodi collo-
quijs familiaribus, nisi rarò & graui neces-
sitate urgente; subditi etiam exemplum acci-
pient ad non temerè iudicandũ, nec malè sus-
pican-

picandum de maiorum suorum dictis & factis, quos debent ut sanctos venerari; iuxta illud Psalmi b *nolite tangere cristos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.*

b Psal. 104.
15.

II.

c Ioan. 4. 31.
34.

INTEREA rogabant eum discipuli dicentes, *Rabbi manduca, respondit, ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, meus enim cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.* In his verbis aperuit ipse Christus, magnam, quam de Patris sui voluntatis exequenda haberet, æstimationem; quæ voluntas erat, ut animæ ad ipsum conuerterentur: siquidem defatigatus & esuriens, nec comedere vult, nec cibum gustare; potius dicens, cibum suum esse, voluntatem illam Patris exsequi, idque non quomodocunque, sed magna perfectione, & integritate: quamvis enim eam voluntatem exsequi caro illi constaret; felque & acetum esset illi gustandum, omnia tamen leuia dulciaque; reputabat, quod ea esset eius voluntas, quem ipse tantoperè diligebat.

O Dulcis IESU, fac me cibum meum existimare, ut tuam, non meam exequar voluntatem perfectè faciens opus, quod mihi iniungis; & tanta fame cibum hunc animæ manducans, ut cibi corporis me faciat obliuisci. Hinc etiam Sanctum concipiam timorem, ne mihi dicat CHRISTVS, ego cibum manduco, quem tu nescis; talem inquam cibum, quem tu non probas, quia tibi non arripides; & ideo non comedis, sicut ego comedo.

Si enim ego sim inobediens legi Dei, eius inspirationibus, & superiorum meorum præceptis; nõ agnosco cibum, quem comedit Christus, & porro, nec vita Christi viuam, nemo enim potest vnitus esse Christo, nisi cibum eum comedat, quem ipse comedit.

III.

PERPENDAM denique, mox peruenisse Samaritanos ad Christum; qui magna illos charitate & humanitate excepit, & prædicauit regnum Dei; mansitque apud illos duos dies: vbi spiritali hoc cibo famem suam, & appetitum satiauit, quia multi crediderunt in eum, tanta certitudine, vt nullo conspecto eius miraculo diuinis tantum eius sermonibus ad credendum conuincerentur, & mulieri dicebant, quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuius, & scimus quia hic est verè Saluator mundi, non Iudæorum tantum, sed etiam Gentilium; & hoc scimus, quia eius sufficientia testimonia habemus. O Cœlestis Magister, qui per tuam Ecclesiam, hac feruentem Samaritana significatam, nobis aperis quinquanam sis; id ipsum etiam nobis intra cor nostrum dignare per te ipsum aperire. Mane nobiscum integros duos dies, duo illa charitatis præcepta exactè nos docens, vt illa exactè seruantes, perueniamus ad videndum clarè, quod tu sis noster DEVS & Saluator, cui sit honor & gloria in omnia secula. Amen.

MEDI.